

Regula 2. Clandestina matrimonia non valent: 1) si utcumque contrahuntur in loco, ubi viget lex Tridentina, a quibuslibet¹; 2) si in loco, ubi non viget lex Tridentina, contrahuntur ab iis, quorum uterque *advena est ex loco, ubi viget*, atque in fraudem legis, i. e. in hunc finem, ut contraherent matrimonium, e suo loco recesserunt. (NB. Advenam seu peregrinum distingue semper a vago.)

Regulae illae eruuntur ex responsis S. Congregationis Concil. sub Urb. VIII. ad Archiep. Coloniensem datis et a Ben. XIV. in epist. supra cit. ad Archiep. Goan. relatis:

1. „Quaeritur . . an incolae tam masculi quam feminae loci, in quo concilium Trid. in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parochi et testibus contrahere.

2. „Quid, si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae, solo animo sine parochi et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutant.

3. „Quid, si iidem incolae, tam masculi quam feminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parochi et testibus contrahant.“

S. Congr. die 5. Sept. 1626 „ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude. Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum“. Quod Urban. VIII. 14. Aug. 1627 approbavit.

731 B. Gravissima quaestio agitur in utramque partem, utrum nimirum haeretici (baptizati) aequae atque catholici legi Tridentinae in iis locis, ubi promulgata neque per dispensationem aut desuetudinem sublata est, *pro valore* matrimoniorum adstringantur.

Quae quaestio aut in genere statui potest de quibuslibet impedimentis dirimentibus a lege ecclesiastica inductis, aut speciatim de hoc clandestinitatis impedimento potest institui.

Si in genere quaeritur, jam supra n. 731 dictum est, ex communi theologorum doctrina de legibus, et ex constanti Ecclesiae praxi adeo certum esse, haereticos per se legibus Ecclesiae adeoque etiam cano-

¹ Carrière *compend. matr.* p. 3 cap. 4 n. 190 cum aliquibus scriptoribus in dubium vocavit hanc regulam, imo contendit, probabilius valere matrimonium eorum, qui in loco, ubi lex Tridentina non vigeat, habitantes, sed peregre existentes in loco, ubi vigeat, contrahant. — Verum hanc opinionem utcumque probabilem esse, minime assentiri possum, eo quod pugnare videtur contra principia ab auctoribus communi consensu admissa. Nam 1) lex clandestinitatis merito dicitur lex Ecclesiae communis, cui omnes adstringuntur, nisi forte in certis casibus propter territorium eximuntur. Sed etsi quis contendere velit, legem illam ex singulari modo promulgationis praescripto non evasisse perfecte universalem, sed quadamtenus legi territoriali particulari assimilari: peregrinos illi non subjacere, minime consequitur. Agitur enim 2) de lege, quae *regat contractuum publicam formam*; illis autem legibus, etsi particularibus, subjacere peregrinos, communis prorsus doctrina est: v. S. Alph. l. 1 n. 156 in fine. Quare ad valorem matrimonialis contractus etiam pro peregrinis forma Tridentina omnino necessaria est, si in ipso loco viget. Cf. Gury *casus consc.* II, 1015 et 1016.

nicis impedimentis matrimonii subjacere, ut paucissimorum quorundam hujus rei addubitatio pro omnino inani haberi debeat.

Iis, quae ibi allata sunt, addi potest, Romanos Pontifices circa clandestinitatem in matrimoniis haereticorum aliquando dispensantes constanter addidisse „dummodo non adsit aliud impedimentum canonicum.“ Imo ex ipsa re patet, Ecclesiam communiter id pati non posse, ut, qui a fide desciscant, suae rebellionis commodum portent et ab omni ecclesiastica lege propterea liberentur.

Sed pro lege clandestinitatis videri potest specialis ratio esse, cur haereticos non comprehendi dicamus. Et revera speciales rationes afferri consueverunt:

1. Non videri mentem Ecclesiae esse, tot millia matrimoniorum facere invalida et illegitima; nam id clarum est, haereticos nunquam Tridentinam formam observaturos esse neque observare moraliter posse, quamdiu maneant acatholici, siquidem catholico parochi se sistere nequeant.

2. Haec ipsa videtur mens PP. Tridentinorum fuisse; ne enim omnes haereticos illa lege involverent, specialem formam promulgationis pro hac lege statuerunt, quam haereticos nunquam facturos vel passuros esse praevidebant.

3. Videri potest huic opinioni calculum adjicere Bened. XIV. in epistola ad Cardinalem York § 17 (9. Febr. 1749) apud Avogadro *de matr.* tom. IV. *docum.* 29 et in ipsa sua Constitutione circa matrimonia Hollandiae data 4. Nov. 1741 (cf. etiam *de syn. dioec.* l. 6 c. 6), quum dicat „verissimis argumentis conjecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis anno 1741 solutae occasionem dedere.“

Verum hae rationes rem minime evincunt. Nam

732

1. Patres Tridentini ex ea ratione, qua bene sciebant, haereticos in hac re per se comprehendi, atque involvi lege clandestinitatis, ita ut eorum matrimonia fierent nulla: remedium *aliquod* adhibuerunt, quod multos eximeret; atque ita eatenus haereticos exemisse dicendi sunt, quatenus remedio illo adhibito comprehenduntur, i. e. eos, apud quos promulgatio legitima facta non esset, alios non item.

2. Neque Constitutio Bened. XIV. de foederatis Belgii provinciis afferri potest. Nam ratio, quae affertur, cur matrimonia et haereticorum et mixta valida sint, est „ex temporum et locorum conditione“ desumpta, vel „quod nullatenus constaret de promulgatione legis Tridentinae facta“. At id in omni lege valet, ut aut promulgatio positive probari debeat, aut vim suam non exerceat. Et quod pro Statibus foederatis Belgii etiam magis attendendum est: etsi in aliquibus locis lex Tridentina publicata erat, attamen satis diuturno tempore exercitium catholicae religionis prorsus jacuerat, ita ut tota illa regio secundum publicam rerum conditionem acatholica facta esset. Illa lex Tridentina certe longa desuetudine vim suam amittere potuit, et amisit. Quando vero postea catholica religio ejusque exercitium iterum restituebatur, lex clandestinitatis vigere coepit *vi promulgationis novae*. Quae nova promulgatio homines acatholicos, utpote qui plane sejunctae societatis et in suos coetus religiosos separatos coadunati essent, non adstrinxit, quia et tenor legis et mens legislatoris plenio-

rem promulgationem requirebat, ut lex clandestinitatis cum effectu homines ligaret.

Id unum igitur ex Constitutione illa Benedictina concludi debet, eos acatholicos Tridentina lege non comprehendi, qui *tempore legitimae promulgationis* separatos coetus religiosos atque publicum religionis exercitium habebant, eo quod ad parochiam et locum, in quo promulgatio facta est, non censebantur pertinere.

3. Constitutionem Bened. XIV. non posse indiscriminatim ad omnia haeticorum matrimonia extendi, adeoque illa propter clandestinitatem esse illegitima et nulla, nisi specialis ratio loci et circumstantiarum ea eximat, *indubio* argumento ex eo probatur, quod S. Congr. non semel etiam post Ben. XIV. Constitutionem ejusmodi matrimonium, post conversionem alterutrius ad veram fidem declaravit *nullum*. Si vero in praxi sententia fertur pro nullitate, theoretice ne leve quidem dubium superesse potest: secus enim sententia ecclesiastica est, „de nullitate non constare“¹.

783 C. Quum vero speciales causae, cur certa quaedam matrimonia acatholicorum a clandestinitatis lege eximantur, plures esse possint, haec videntur valere regulae:

1) Matrimonia et haeticorum et matrimonia mixta *valida* sunt:

a) si in illa regione lex Tridentina nullatenus promulgata est;

b) si promulgata quidem est, sed eo tempore, quo acatholici jam habebant pacificum religionis suae exercitium, atque in ea regione sua templa suosque ministros habebant;

c) si regio illa post promulgationem decreti Tridentini tota haeretica evasit, ita ut aut etiamnunc haeretica sit, aut saltem diuturno tempore catholicae religionis exercitium plane jacuerit;

d) si specialis concessio seu dispensatio a S. Sede data est.

2) E contrario seclusa speciali S. Sedis dispensatione, *invalida* sunt haeticorum matrimonia et matrimonia mixta clandestine contracta:

a) si haetici in regione, ubi Tridentinum publicatum est, inter catholicos permixti vivunt sine propria communitate legaliter agnita propriisque templis;

¹ En exempla quaedam! S. Congr. C. resolutio 4. Aug. 1743 est haec: „Quum nonnullis abhinc annis contractum fuerit in Franconia in loco, in quo Concilium Trid. fuit acceptatum, matrimonium inter Comitem Frid. Christian. de Schaumburg-Lippe, sectae Lutheranae, et ejusdem sectae mulierem, non praesente parochio catholico, sed juxta ritum et praxim protestantium: acceptaque fuga a muliere etc.; S. Congregatio Conc. sententiam Episcopi Paderb. et Episcopi Monast. [de nullitate matrimonii] confirmavit deditque facultatem praedicto Comiti ad fidem catholicam converso novum ineundi matrimonium“. Ita Perrone *de matrim.* t. 2 pag. 258 not. 89. (NB. Nisi mendum in assignando die irrepsit, in collectione resolutionum S. C. C. hoc decretum non invenitur; de authenticitate tamen non videtur dubitandum.) — Aliud exemplum affert Knopp *de matrim.* pag. 307 ex decreto S. Inquisitionis Officii 29. Nov. 1852 et 26. Jan. 1853. Agebatur de matrimonio mixto in Rhenania contracto in loco, ubi post publicationem decreti Tridentini protestantes demum supervenerant: matrimonium igitur, quod contractum erat ante dispensationem a Pio VIII. 25. Martii 1830 datam, 26. Jan. 1853 declaratum est nullum. — Alia exempla afferuntur a von Schulte in editione Conc. Trid. in notis ad sess. 24 de reform. matr., praecipue n. 173 et 174.

b) si tempore, quo publicabatur Tridentinum decretum, haetici distinctam societatem nondum efformabant, sed postea in eum locum supervenerunt, quamquam nunc suos ministros suaque templa habent.

Scilicet si id a brevi tempore tantum obtinet, res evidens est, quia ne speciem quidem ullam praescriptionis seu desuetudinis, qua a lege eximantur, afferre possunt. Sed etsi jam a longo tempore factum sit, puto, idem esse dicendum. Nam ipsi acatholici soli non videntur eam communitatem separatam facere posse, quae *per se* ecclesiasticam legem desuetudine abroget: alioquin omnes leges mere ecclesiasticae sectam acatholicam jam non adstringerent, quum observatae jam diutissime non sint. Quod plane absonum et praxi Ecclesiae contrarium esse supra indicavi. — Ceterum in hoc ultimo casu praestabit, ad S. Congregationem causam deferre, si forte de tali matrimonio *dissolvendo* agatur, quia ob circumstantias varias res non solet esse extra omne dubium.

Ad II. In superioribus jam nonnihil dictum est de diversis causis, 784 quae certa matrimonia certasque regiones a lege clandestinitatis eximere possunt. Alia hic suppleuntur.

1. Impossibilitatem accedendi ad parochum ejusque substitutum aliquatenus causam esse, habes ex responso S. Congregationis 28. Maji 1793 ad Episc. Lucion. (v. Bangen l. c. III. p. 23), sc.: posse sine parochio, in praesentia tamen duorum saltem testium matrimonium valide et per se licite contrahi, si tutus accessus ad parochum non pateat, nec aliter a legitimo Superiore per delegationem sacerdotis provisum fuerit vel provideri possit. — Sufficit autem, si *per mensem impossibilitas* non particularis, sed *communis* existit parochum legitimumve Superiorem adeundi.

2. Desuetudine diuturna legem clandestinitatis aboleri *posse* (sc. si regio quaedam evadat totaliter acatholica), expresse memorat Pius VII. in literis ad Dalberg, Archiep. Moguntinum, 8. Oct. 1803 datis (vide *Avogadro* t. 4 *docum.* 88). Ubinam vero talis desuetudo re ipsa adsit, in singulis locis videri debet: de quo consule regulam priore n. statutam.

3. S. Pontificem dispensare posse in lege clandestinitatis, non est, quod adnotem. Sola quaestio esse potest, num et pro quibus regionibus id reapse fecerit. — Porro exhibebo catalogum eorum quoque locorum, pro quibus publicata vel nullatenus publicata est lex illa Tridentina.

I. Igitur dispensatio vel expressa S. Sedis declaratio de valore 785 matrimonii etiam clandestini data est.

A. Relate ad matrimonia *tum haeticorum*¹, *tum mixta*:

1. Pro provinciis foederatis Belgii et Hollandiae, quae antea regi Hispaniarum subjectae erant (Bened. XIV. 4. Nov. 1741). — Accuratam locorum hodiernae Hollandiae, quibus haec declaratio applicari debeat, enu-

¹ Ex declar. S. O. 6. Apr. 1859 hoc nomine *hic* comprehenduntur etiam sequentes: 1) Illi, qui catholice quidam baptizati, sed a pueritia nondum septennali in haeresi educati haeresim profitentur; 2) qui *ab haeticis* educantur, etsi nulla vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, neque cultu eorum frequentato, sed aliquoties tantum participato, si modo non transierunt ad catholicam religionem; 3) qui adhuc pueri in manus haeticorum incidentes eorum sectae adjunguntur; 4) apostatae ab Ecclesia catholica ad haeticam sectam transeuntes; 5) qui, nati et baptizati ab haeticis, adoleverunt, quin ullam solemnem haeresis professionem emisissent ac veluti nullius religionis existunt.

merationem habet Feije *de imped. et dispens. matr.* n. 321. — Haec Benedictina declaratio sive per authenticam declarationem sive per dispensationem extensa est ad complures regiones, quae sunt:

2. Quebec et Canada, Americae sept. — Clem. XIII. 29. Nov. 1764.
3. Dioec. Wratislav. — Clem. XIII. 27. Febr. 1765 et postea Pius IX¹.
4. Malabar — Clem. XIII. 12. Sept. 1765.
5. Bombay Vicariatus — Clem. XIII. 17. Maji 1767.
6. Dioecesis Culmensis — Clem. XIV. 5. Maji 1774.
7. Polonia Russiaco imperio subjecta — Pius VI. 2. Martii 1780.
8. Clevensis ducatus Borussiaci regno subjectus — anno 1795.
9. Luisiana et Florida Americae² — Leo XII. anno 1824.
10. Insula SS. Trinitatis — idem anno 1825.
11. Mosae-Trajectum cum suburb. ad S. Petri — Leo XII. per S. Officium 20. Apr. 1826 (v. Feije l. c. n. 322).
12. Coromandel — anno 1831.
13. Pondichery — Gregor. XVI. 23. Martii 1833.

B. Quoad matrimonia *mixta* regiones, pro quibus dispensatum est, sunt:

1. Hibernia — Pius VI. 3. Maji 1785.
- 786 2. Dioeceses provinciarum Rhenan. et Westphal. sub ditione Borussiacae — Pius VIII. 25. Martii 1830.
3. Hungaria et Transsylvania — Gregor. XVI. per *Congreg. negotior. extraord.* 30. Apr. 1841.
4. Dioeceses Gnesniensis et Posnana — Gregor. XVI. 22. Maji 1841 (cf. *Archiv. für kathol. K.-R.* vol. 44 pag. 184).
5. Russia et tota Polonia: idem Gregor. XVI. per *Congr. negot. extraord.* 19. Aug. 1844.
6. Georgia Asiae — S. Officium anno 1865.

7. Afferunt saepe, etiam pro Bavaria datam esse dispensationem; id quod tamen ex literis Gregor. XVI. ad Epp. Bavariae datis 12. Sept. 1834 nullatenus colligitur. Verum sunt aliquot regiones hodiernae Bavariae, in quibus ante defectionem populi ad protestantismum Tridentinum promulgatum non erat: in iis igitur matrimonia saltem haereticorum et mixta clandestinitatis legi non subjacent.

8. Dein pro Curçao legem Tridentinam oblitteratam esse, authentica declaratione habemus. Similiter pro Japonia, quum persecutio ante plura saecula esset exorta, declaratum est, matrimonia, non obstante legis Tridentinae promulgatione, ob penuriam sacerdotum valere *sine parochi assistentia*.

787 *Accedunt regiones*, in quibus post defectionem magnae populi partis ad sectas acatholicas promulgatio facta est, ita ut soli catholici adstringantur, matrimonia tum protestantium tum mixta clandestinitatis lege non afficiantur:

¹ Scilicet Clem. XIII. dispensationem concesserat pro Wratislavia cum principatibus Liegnitz, Brieg, Wohlau, Oels, i. e. pro tota dioecesi tum existente. Sed 16. Julii 1821 additi sunt ad dioecesim: 1) districtus Pless et Beuthen, olim Cracovensis dioecesis, in quibus lex Tridentina publicata erat; 2) pars ducatus Lusatae (Lausitz), ubi dubium erat de promulgatione; 3) provinciae Borussiae Brandenburg et Pomerania, ubi lex Tridentina promulgata non erat, nisi forte pro *catholicis* ex diuturna observatione promulgationem et vim legis concludas. Rogante Episcopo, Pius IX. 21. Sept. 1877 potestatem fecit Clementinam legem (privileg.) extendendi ad omnes illas partes, *si opus fuerit*: quod tandem factum est mense Sept. 1882. Cf. Franz *de matrim. mixtis* in Silesia pag. 115 sqq.

² De aliis stat. foed. Americae sept. cf. *notam ad n. 789*.

1. Nonnullae Hiberniae regiones: practice igitur matrimonia catholicorum saltem ab 1. Januar. 1828 clandestine inita sunt invalida (cf. Feije l. c. n. 325) in tota Hibernia; mixta valida sunt; de matrimoniis mere protestantium inter se res non ubique ita patet.

2. Valachia et Bulgaria, ubi pro solis catholicis lex Trid. valet, idque, quia ab immemoriali tempore tamquam lex irritans Trid. observata est.

3. Argentoratina civitas; siquidem Tridentina lex promulgata est post occupationem per Ludovicum XIV. Galliae regem factam; ergo solos catholicos adstringit.

4. Turcia: in plerisque catholicis parochiis promulgata est Tridentina lex.

II. Practica comprehensio diversarum regionum Europae.⁷⁸⁸

A. Promulgatio legis Tridentinae facta non est:

in Anglia, Scotia, in provinciis Borussiae presse dicta, ac Pomerania et Brandenburg, in *aliquibus* Helvetiae *pagis*, in Saxonia, Suecia, Norvegia, Dania, in *antiquo episcopatu* Bremensi, in *aliquibus* Bavariae *locis*.

NB. Nihilominus in singulis illis regionibus pro catholicis videri debet, num forte post constitutam catholicorum parochiam *pro iis* promulgatio Tridentinae legis sit facta: secus non habebis certitudinem de valore matrimoniorum clandestinorum nisi quoad matrimonia tum protestantium, tum mixta.

B. E contrario in *his* Europae regionibus lex Tridentina plene viget: in Italia, Lusitania, Hispania, Gallia, Austria (presse sumpta), Belgio hodierno et ex Neerlandia in *dioecesis* Ruraem. quam maxima parte et in aliis locis paucis (de quibus accuratiora v. Feije l. c.), in ducatu Luxemburg (de Bavaria vide *supra*; in provinciae ecclesiasticae Rheni superioris plerisque quidem locis lex plene viget, neque voluit S. Sedes dispensationem dioecibus Colon., Trevir. etc. datam ad alias illas dioeceses extendere, attamen in singulis locis accuratius videri debet, *sitne* vere lex Tridentina promulgata et *quando*).

C. Seposita quaestione de Bavaria et de provincia Rheni superioris, lex Trid. singulis locis non plene viget, ita tamen, ut *saltem catholicos* adstringat in paroeciis existentibus:

in *Archidioecesi* Coloniensi cum dioec. suffrag., *dioecesi* Wratislaviensi, *dioec.* Culm., *dioec.* Gnesn. et Posnaniensi, in Hungaria et Transsylvania, Russia, Polonia regno Russiaco subjecta, Valachia et Bulgaria, Neerlandia (except. v. *supra*), in Hibernia.

III. De regionibus extra Europam difficile est, accuratum aliquid⁷⁸⁹ statuere. Praeter ea, quae recensui, pro Asia et Africa quaedam adnotat Perrone op. cit. t. 2 pag. 262 sqq.; recentius Zitelli *Apparatus J. E.* p. 394 sqq. — In America Meridionali in iis regionibus, quae sub Hispanorum et Lusitanorum ditione fuerunt, promulgatio facta est, atque generatim etiam nunc lex clandestinitatis viget.

Relate ad Americam Septentrionalem res, multis difficultatibus implicata, nunc petente Concilio plen. Balt. III. iis nonnihil expedita est. Collegi aliqua ad praxim spectantia:

A. In Americae Septentrionalis Statibus Foederatis et America Britannica haeretici non ligantur clandestinitatis lege; quare etiam mixta matrimonia clandestina valida sunt¹: v. Konings *theol. moral.* n. 1609.

¹ Difficultas solum est circa provinciam Sanctae Fidei. Nam pro aliis provinciis, ubi lex Trident. per se videtur vigere, declaratio Benedictina pro Hollandia

B. Quoad catholicorum matrimonia sola quaestio agitari potest, sitne lex Trid. promulgata necne, ideoque sintne eorum matrimonia clandestina tantum illicita, an etiam invalida.

Circa quam quaestionem Konings l. c. n. 1607 contendit, paucissimas esse parochias canonicè erectas seu tales, quarum rector *teneatur stricte* diebus Dominicis et festivis Missam applicare pro populo: proin, etiamsi decretum Trid. in pluribus locis observetur tamquam lex valorem matrimonii afficiens, revera tamen valorem paucissimis tantum in locis attingi, eo quod conditio legis Trid., i. e. promulgatio in parochia, non adsit neque adesse possit.

Quod quo sensu verum sit, non audeo certo sententia mea comprobare, siquidem accuratum statum ecclesiastici regiminis pro illis locis non perspexi. Quid opiner, dicam. Non tam ex obligatione applicandae Missae pro populo eruerim discrimen, utrum adsit parochia ut locus aptus, ubi fiat promulgatio a Concilio Trid. praescripta, necne; sed potius ex eo, utrum Christifideles, Episcopis sic disponentibus, ita sint certis et definitis districtibus addicti, ut *ex se* in sola sui districtus ecclesia legem Paschalis Communionis implere possint, ad eam solam infantes suos baptizandos afferre liceat etc., an summo saltem jure possint aliorum districtuum sacerdotum ministerio uti. Posterius si iis licet, parochiam sensu Tridentino non adesse sentio, neque legem clandestinitatis vim irritandi matrimonii ibi per se habere; sin prius obtinet, clandestinitatis legem, si promulgata sit, irritandi vim exercere. Ratio autem, cur potius istas obligationes fidelium pro distinguendis veris parochiis ab aliis districtibus assumam, quam obligationem applicandae Missae, est, quia haec obligatio etiam aliquo modo fundatur in redditibus ecclesiastici beneficii, quos sacerdos percepturus est; insuper Ecclesia ipsa hanc conditionem non habet pro necessaria, ut existere possit parochia eo sensu, quo relate ad matrimonium concilium Trid. eam intellexit. Nam sane haec conditio saeculo sexto decimo et septimo decimo in Japonia non erat impleta, siquidem omnes illius imperii districtus a Missionariis administrabantur, neque id Romae ignorabatur, nihilominus ante persecutionem initio septimi decimi saeculi excitatam legem clandestinitatis plane obligasse et viguisse tamquam legem irritantem, ex responsis S. Sedis patet: vide Collectanea Const. S. Sedis n. 978. sqq. Cf. etiam Feijje *de imped.* etc. n. 335; Braun in lib. period. *Archiv für kathol. K.-R.* vol. 50 p. 347.

Huc pertinet etiam (cf. *Acta S. Sedis* vol. 17 pag. 351) declaratio S. Officii pro provincia Quebecensi; quae etiam magis stet pro valore legis Tridentinae de clandestinitate. In illa enim Americae provincia ex mandato Episcoporum lex Tridentina „*Tametsi*“ tamquam lex irritans promulgata erat tum in *quasi-parochiis*, i. e. districtibus per Episcopum circumscriptis, in quibus sacerdos ordinarie vel principaliter residet, tum in *missionibus*, quae suis temporibus a sacerdote visitari tantum solent. De utrisque locis quaesitum est: „*An valida fuerit promulgatio decreti „Tametsi“ Concilii Tridentini in missionibus et in quasi-parochiis supra dictis.*“ — Cui dubio a S. Congr. S. R. U. Inquis. 14. Nov. 1883 responsum est, idque eodem die a SS. D. N. Leone XIII. ratum habitum: *Juxta exposita affirmative et ad mentem. Mens est, quod in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi, ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris ecclesiae, cui subjiuntur.*

790 C. Relicta igitur hac quaestione aliorum, ad quos spectat, iudicio, noto ex relatione Concilii plen. Balt. III. regiones Americae Septentr. Stat. Foeder., et ex Konings l. c. regiones Americae Britannicae, ubi lex Trid. quoad catholicorum matrimonia sive publicata sit sive ut lex irritans observetur, ubi non.

Non observatur: 1. in provincia Oregon, imo promulgatio alicubi facta a S. Sede annullata est;

data, per S. Sedem expresse extensa est; sed haec extensio pro provincia S. Fidei est negata: quare ibi quaestio de valore matrimoniorum haeticorum et mixtorum ex principiis communibus dijudicanda est secundum ea, quae modo dicta sunt n. 783.

2. in provinciis Baltmor., Philadelph., Neo-Eborac., Boston., Milwaukiensi;

3. in maxima parte provinc. Cincinnatensis, S. Ludovici, Chicago;

4. in Americae Britannicae dioecesi Ottawa prov. Quebec, tota provincia Halifax, Canada superiore, Vicariatu Ap. Sault S. Mary.

E contrario observatur: 1. In provinciis Neo-Aurelianensi; Sanctae Fidei (Santa Fé), excepta parte septentr. territorii Colorado; S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte, quae est ad orientem fluminis Colorado; in dioecesi Vincennopolitana provinciae Cincinnat.; ex dioecesi S. Ludovici (provinc. ejusdem nominis) in ipsa civitate S. Ludovici cum locis S. Genovefae, S. Ferdinandi et S. Caroli; in dioecesi Alton in aliquibus parochiis, sc.: Kaskaskia, Cohakia, French Village, Prairie du Rocher.

2. In America Britannica observatur in provincia Quebec, excepta dioecesi Ottawa, in provincia S. Bonifacii.

Recensui quidem regiones, in quibus vigeat vel non vigeat lex Tridentina de matrimoniis clandestinis. Verum in iis locis, ubi non vigeat, utrum matrimonia clandestina (inter quae censerentur debent matrimonia civilia, et ea, quae coram acatholico ministro ineuntur) re ipsa sint valida, an invalida, potest a persuasione pendere, qua contrahentes circa valorem vel nullitatem talis matrimonii affecti sunt: de quo cf. supra n. 692.

Nota Peccata, quae in violandis legibus impedimentorum occurrere possunt, inutile est recensere et distinguere, tum quia supra satis exposita sunt, tum quia eujuslibet impedimenti lex per se sub gravi omnino obligat.

Caput III.

De impedimentis matrimonii tollendis.

(Cf. Bangen, Knopp, von Kutschker, von Schulte etc. opera cit.)

§ 1.

De potestate dispensandi et de diversis tribunalibus.

I. Dispensatio in solis illis impedimentis concedi potest, quae sunt *certo ecclesiastica tantum*. Atque eo difficilior evadit dispensatio, quo magis ecclesiastica lex in naturali quadam decentia sive indecentia nititur.

II. S. Pontifex solus sine causa dispensare potest. Episcopi alique, qui a S. Pontifice potestatem dispensandi acceperunt, non possunt valide sine justa causa, neque aliter, nisi secundum normam a sancta Sede praescriptam.

III. Episcopi ordinaria (quamquam non propria) potestate — ergo etiamsi speciale privilegium a sancta Sede non acceperunt — dispensare possunt: 1) in impedimentis occultis, si causa ita urget, ut recursus ad sanctam Sedem haberi nequeat; 2) in impedimentis dubiis dubio facti, quando pro impedimenti existentia *magna praesumptio non est*; 3) in impedimentis etiam publicis, urgente causa cum aegrotis in mortis periculo constitutis, secundum normam in nota adjectam¹.

¹ En literae, quas jussu Leonis XIII. Card. Monaco 20. Febr. 1888 Ordinariis misit:

„De mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII. Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus expendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Or-